



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Stimvlvs Compvnctionis, Et Soliloqvia**

**Juan <de Jesús María>**

**Coloniae, 1611**

De resurrectione animæ, quæ fit per pœnitentiam. Cap. 17.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45624**

me, & desponsabo mihi, in reconcilia-  
tione, & reparatione amissę gratiæ meæ,  
dilectissimam animam tuam.

*De resurrectione animæ, quæ fit per pœni-  
tentiam.*

CAP. XVII.

**Q**uemuis nihil eorum, quæ dixi, te  
moueret, fili, ad agendam pœnitен-  
tiam & querendam pacem, & amicitiam  
meam, inæstimabile saltem bonum diui-  
næ gratiæ, ad quam veri pœnitentes re-  
surgunt à morte peccati, deberet morare  
te, ut statim conuertereris ad me auctore  
vitæ, & lucis illius, quæ nescit occasum.  
Tanta est enim dignitas, sublimitas, &  
decor gratiæ meæ, per quam ego habito  
in anima Iusti, ut abominabilis appareat  
omnis mundi pulchritudo, & altitudo, si  
cum illa comparetur. Si daretur tibi, ô fili  
charissime, semel aspicere resurrectionē  
illam, quæ fit per gratiam meam, omnia  
mundi bona despiceres, ut sacerdota, & vē-  
deres omnē substantiam domus tuæ, ad  
emendām prætiosissimam gratiæ mar-  
garitam. Recordare, fili, quod didicisti per  
Sanctas Scripturas, & inspirationes meas,  
quomodo corpus meum à peccatoribus

**C** defor-

deformatū in acerbissima passione mea,  
accedente momento resurrectionis, re-  
formatum est, ita ut niuem candore, &  
Solem splendore superaret. Paulo ante  
non erat ei species, neque decor, sed ima-  
go mortis, & in punto resurrectionis,  
suauissima pulchritudine, & purissima lu-  
ce præditum apparuit, quasi corpus Vni-  
geniti Filij Dei. Ad hunc modum debes  
meditari, fili, resurrectionem animæ, quæ  
in peccato mortua fuerat, & per gratiam  
reuiuiscit. In pucto enim illo ex imagine  
diaboli horrenda, transit ad similitudinem  
Dei, ex tenebris infernalibus ad serenissi-  
mam lucem, ex deformitate turpissima ad  
pulchritudinem dulcissimam, quæ lapides  
emolliret. Ego sponsus animæ ab adulto-  
rio peccati reuerētis ad thalamum meū,  
immemor iniuriæ capior amore colubæ  
meę redeuntis ad arcam cum ramo virē-  
tis oliuæ, & recipio illam ad strictissimos  
amplexus meos. Ego in hora illa orno re-  
demptam à seruitute Pharaonis dilectam  
meam virtutibus diuinis, vt se præsentet  
clementissimo Patri meo, & ornata mo-  
nilibus redemptionis, quæ est in sanguine  
meo, numeretur inter filias Sion vesti-  
tas purpura Regis, qui gratis amauit, &  
elegit eas. Considera nunc, fili, vnde ex-  
cideris,

cideris, & age pœnitentiam conuersus ad me ex intimis medullis, neque parui facias tantas, & tam ineffabiles diuitias, quæ in statu gratiæ mæ proueniunt. Ne audias consilia hominum diuertentium te à beatissima luce mea : sed sequere consilia Sanctorum, qui dilexerunt, & exquisierunt me. Nescit mundus æstimare gratiæ mæam vendens me pro modico fragmēto panis; quo non poterit saturari. Aperi tu oculos cordis tui, & contemplare speciosissimam formam Dei, quantum valet infirmitas tua, & videbis, vnum saltem gradum Diuinæ gratiæ mæ prætiosiorē esse, quam vniuersi mundi imperium, et iam si absque fine duraret. Hæc est sancta, & casta eruditio mea, quæ debet mouere cor tuum ad contemnendas omnes consolationes terræ, & ad querendam amicitiam meam. Si fueris fidelis, & audieris me, dabo tibi vestem nouam qua induuntur reges multi, qui mecum regnaturi sunt in æternum, & ultra.

*De reparatione amicitiae diuinae, quæ sit per pœnitentiam.*

CAP. XVIII.

**I**Nestimabilis thesaurus est amicitia mea, fili charissime, quæ voco ad recōciliationem,

C 2 liationem,